

prohibitum ibi est Gentili, quin si voluntarie vellet tale onus assumere, posset id facere. Et in Epist. ad Galat. semper damnatur asserere hoc esse necessarium gentibus, vel cogere gentes judaizare: voluntaria autem professio pro illo tempore nullibi damnatur. Confirmatur secundo: nam Hieronymus, affirmans legalia fuisse mortifera a principio, indifferenter de Judæis et de Gentilibus loquitur; Augustinus vero, id negans, et e converso affirmans pro illo primo tempore fuisse licita, simpliciter etiam loquitur sine distinctione inter Judæos et gentes, nullibi enim invenio talem distinctionem fecisse. Imo solumque in dicta Epist. 19, versus finem, sic inquit: *Illa quæ significationis causa præcepta sunt, circumcisio, etc., quæ, revelatione gratiæ latius innotescente, necesse fuerat aboleri, non ideo fuerant tanquam diabolica gentium sacrilegia fugienda, etiam cum ipsa gratia jam cæperat revelari, quæ umbris talibus fuerat renuntiata, sed permittenda paululum eis, maxime qui ex illo populo, cui data sunt, venerant.* Ubi expendo illam particulam *maxime*, quæ indicat, non solis Judæis id esse permissum, licet eis maxime.

25. Clarius tamen videtur hanc sententiam docere Augustinus in exposit. Epistol. ad Galatas, circa illa verba: *Sed neque Titus, etc.*, sic dicens: *Quamvis Titus Græcus esset, et nulla eum consuetudo aut cognatio parentum circumcidi cogeret, sicut Timotheum, facile tamen etiam istum circumcidi permisisset Apostolus. Non enim tali circumcissione salutem dicebat auferri, sed, si in ea constitueretur spes salutis, hoc esse contra salutem ostendebat. Poterat ergo ut superfluum æquo animo tollerent. Propter introductos autem fratres non est compulsus Titus circumcidi, quia cupiebant circumcidi Titum, ut jam circumcisionem, etiam ipsius Pauli attestatione et consensione, tanquam salutis necessariam prædicarent.* Clare ergo sentit Augustinus in hac sententia per se licitam fuisse circumcisionem Tito, licet propter scandalum vitanda esset, ubi occurreret.

26. *Resolvitur dubium.* — Hæc ergo posterior pars, si de rigore jûris, ut ita dicam, seu præcepti prohibentis loquamur, videtur magis de mente Augustini, et in se probabilior. Quia rationes factæ ostendunt nullam factam esse prohibitionem ob quam fuerint eo tempore legalia mortifera gentibus. Nihilominus tamen, si conjectemus id quod moraliter accidere tunc potuit, verisimilius est Gentiles fideles bene in fide evangelica instructos lega-

libus abstinuisse, quia moraliter putabant sibi non licere, saltem per accidens. Quia certo sciebant non esse sibi necessaria, unde cum alias essent nimis onerosa, et præcipue circumcisio, non poterant illa assumere, nisi suspicionem dando quod reputarent illa sibi necessaria, et ita in eis id habebat saltem speciem mali, propter quam facile existimare poterant id sibi non licere, vel etiam propter scandalum, vel ne cooperarentur errori Judæorum, qui hanc necessitatem illis imponere tentabant. Unde etiam potuit consuetudine fidelium ex gentibus venientium introduci quædam obligatio abstinendi ad hujusmodi ritibus judaicis. Dixi autem *fidelibus in fide bene instructis*, quia per ignorantiam invincibilem contingere poterat (præsertim ante Concilium Apostolorum) ut aliqui conversi ex gentibus ad fidem exercerent legalia, existimantes sibi esse necessaria, et cum excusatione ab hoc errore propter invincibilem ignorantiam; seclusa autem hac existimatione pauci, ut existimo, aut nulli spontanee circumcisi sunt, et hoc probat exemplum de Tito, et alia superius adducta.

CAPUT XVIII.

SATISFIT DUOBUS DUBIIS EX SUPERIORI RESOLUTIONE INSURGENTIBUS.

1. *Dubium.*—Diximus in præcedenti capite, cum Augustino, legem veterem fuisse mortiferam aliquo tempore post inchoatam Evangelii prædicationem; statim ergo occurrit interrogandum quod vel quale fuerit illud tempus. De hoc enim puncto Augustinus nihil in particulari quæsit aut resolvit, sed solum generaliter dixit, aliquo tempore post inchoatam promulgationem Evangelii, vel post integram promulgationem ejus per Apostolos factam, cœpisse legalia esse mortifera. Unde theologi supra citati fatentur tempus hoc esse incertum, quia neque habemus Scripturam divinam quæ de hoc tempore loquatur, neque aliquod Concilium in quo tempus hoc fuerit declaratum, sed solum per traditionem ecclesiasticam id habetur, ex qua non habemus quidem certum diem, mensem, aut annum hujus initii, sed solum non longe distasse ab initio prædicationis Apostolorum. Et communiter verisimilius creditur quadragesimo anno a passione Christi vel circa incœpisse, vel a destructione templi per Titum et Vespasianum. Neque huic sententiæ obstat quod scribit

Ignatius, epist. 8 ad Philip. in fine: *Qui cum Judæis celebrat Pascha, aut symbola festivitatis eorum recipit, particeps est eorum, qui Dominum occiderunt et Apostolos ejus: quod sine dubio scriptum fuit eo tempore quo jam legalia erant mortifera, ut ipsa verba ostendunt: sed non obstat, quia Ignatius vixit fere usque ad nonagesimum annum post passionem Christi. Videtur autem ex dicta sententia sequi viventibus Apostolis Petro et Paulo legalia nondum fuisse mortifera, cum ipsi non vixerint integros quadraginta annos, sed triginta et quinque, et ad summum triginta sex post Christi ascensionem.*

2. *In tempore Apostolorum legalia fuisse mortifera.*—Nihilominus verisimile est, viventibus Apostolorum Principibus, jam fuisse in Ecclesia sufficienter intellectum ac præceptum non solum non oportere servare legalia, sed etiam esse perniciosum, et ideo ab ipsismet Apostolis fuisse hoc declaratum vel traditum, quia valde conveniens fuit tam necessarium dogma ab eis relinqui sufficienter introductum et fundatum. Accedit quod eo tempore jam erat sufficienter promulgatum Evangelium, dicente Paulo ad Roman. 10: *Sed dico, numquid non audierunt? et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in omnes fines terræ verba eorum.* Nam licet controversum sit quo sensu sint hæc verba intelligenda, et an verbum illud *audierunt* in rigore præteriti vel generalius sit sumendum, nihilominus certum est ante tempus mortis Apostolorum Petri et Pauli fuisse prædicatum Evangelium in præcipuis mundi partibus, et ita in toto illo legem Christi promulgatam fuisse juxta illud Pauli ad Colossens. 1: *Audistis in verbo veritatis Evangelii, et quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat.* Et infra: *Quod prædicatum est in universa creatura, quæ sub celo est.* Quia licet fortasse non ad omnes omnino mundi provincias verbum Evangelii tunc pervenisset, ut infra dicam, nihilominus tempus illud sufficiens erat ad divulgationem ejus per totum mundum, quod satis est ad consummatam promulgationem, juxta doctrinam generalem superius datam, quam etiam libro sequenti ad legem novam applicabimus. Multo vero certius est promulgationem Evangelii pro Judæis factam esse sufficientissime intra illud tempus, imo et de facto pervenisse ad omnes orbis provincias in quas erant dispersi Judæi, et ubicumque lex Moysi ab eis servabatur, ac subinde tempus illud triginta sex annorum, paulo

amplius minusve, sufficientissimum fuisse ut lex illa cum honore sepeliretur et omnino aboleretur; ab illo ergo tempore cœpit illa lex esse mortifera.

3. *Dubium: quo jure lex illa facta fuerit mortifera.*—Statim vero insurgit alia interrogatio, quo nimirum jure, divino, scilicet, vel humano, lex illa facta sit mortifera. Nam, ut dixi, illa non est facta mortifera per solam abrogationem ejusdem legis, nam abrogatio, ex vi sua et in genere loquendo, tollit obligationem legis abrogatæ, non vero prohibet, aut mortiferam facit observantiam ejus quasi materiale, seu perseverantiam in usu per legem illam introducto; ergo idem dicendum est de illa lege. Deinde non sunt facta perniciose legalia per solam introductionem legis novæ, quia in Judæa et in multis aliis provinciis introducta est et obligavit, et non fecit statim mortifera legalia; ergo, quantum est ex vi illius legis, alia durare potuissent pro toto orbe et pro quocumque tempore, quia non est major repugnantia. Oportet ergo ut cæremonialia legis facta sint mortifera per novum jus prohibens illorum usum. Quale ergo est tale jus? Non enim est jus divinum naturale; maxime enim fuisset illud, quod nasci potuisset ex significatione futurorum, quæ jam erant impleta. Hæc autem ratio insufficientis est: ergo. Major patet, quia, remota illa significatione, nihil invenitur in his cæremoniis per se malum, alioqui nunquam potuissent præcipi aut exerceri; sunt ergo per se indifferentes, si eis non addatur aliqua significatio quæ falsitatem includat in qua sola illa ratio fundatur: ergo, illa seclusa, nulla superest ratio ob quam dicamus cæremonias illas factas esse intrinsecè malas ex vi legis gratiæ sufficienter et integre promulgatæ. Quod autem illa ratio non cogat, est manifestam ex supra dictis, quia illa significatio est separabilis ab illis cæremoniis, etiam factis formaliter, ut in multis accidit ante Christi mortem, et in pluribus vel omnibus post mortem ejus, et post inchoatam promulgationem Evangelii: ergo nulla ratio superest ad dicendum hanc prohibitionem esse juris naturalis.

4. *Urgetur idem dubium.*—Neque etiam dici potest esse juris divini positivi, quia in Scriptura non invenitur talis prohibitio a Deo facta, neque est testimonium ex quo colligatur cæremonialia esse mortifera, nisi illud ad Galat. 5: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit;* quod tamen ab Augustino ex-

ponitur de circumcisione assumpta, ponendo spem in illa, vel saltem ut adhuc necessaria, et ut erat legis professio: nam de illa intelligitur quod immediate subjungit Paulus: *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ*; hoc enim habet verum in homine circumcidente se, spiritu legis, animo profitendi illam ut durantem et vivam. Nam alioqui Timotheus circumcidit se, et nihilominus non factus est debitor universæ legis faciendæ, quia non illo spiritu se circumcidit, sed quia id non erat verum, et cedebat in honorem legis, et ut fieret aptus ad cæteras cæremonias legis religiose exercendas, quando ad majorem unionem et pacem inter fideles, et consequenter ad majorem Dei amorem conferret. Ergo ex illo loco non probatur usum circumcisionis, etiam religiosum et ad cultum Dei ordinatum, esse simpliciter jure divino prohibitum. Neque etiam tale jus divinum habetur ex traditione, quia Ecclesia nunquam declaravit cæremonialia esse mortifera ex vi juris divini, sed tantum esse mortifera, quod possunt habere ex vi ecclesiasticæ prohibitionis; ergo hoc videtur esse verisimilius.

5. *Quid de hoc tradiderunt doctores.*—Hoc punctum non invenio ab auctoribus qui sententiam Augustini sequuntur expresse definitum aut disputatum. Nam Hieronymus sine dubio sensit cæremonialia esse mortifera ex jure divino, vel ex vi obligationis legis evangelicæ, vel ex vi redemptionis per Christum consummatæ; nam ideo dixit semper fuisse mortifera, imo nihil distinguit inter mortuam et mortiferam. Et ita eisdem testimoniis Scripturæ utrumque probat, et ideo in locis supra citatis videtur interpretari dictum testimonium Pauli ad Galat. 5, de circumcisione quocumque modo facta formaliter ex affectu cultus: quamvis super eundem locum non longe sit ab expositione Augustini, dicens: *Tunc non prodest circumcisio, cum aliquid per semetipsam putatur utilitatis afferre.* Nihilominus tamen in sententia Augustini satis verisimile est absolutam prohibitionem legalium in sensu dicto non esse ex vi solius juris divini, sed per ecclesiasticum compleri. Nam ex jure divino est mortifera observatio legis, si fiat vel ab illa sperando justitiam sine Christo, vel etiam cum Christo, ita ut lex simul existimetur necessaria causa justitiæ; vel etiamsi nunc credatur necessaria ex vi præcepti et obligationis talis legis. At vero lex ecclesiastica addit, ut sit mortifera observatio legis

facta ex affectu religionis, seu tanquam per se conferens ad honestatem, etiamsi nullo ex dictis modis necessaria reputetur. Nam talis observatio jam non poterat esse utilis Ecclesiæ, neque ad unionem utriusque populi judæici et gentilis conferret, sed potius fuisset occasio schismatum et scandalorum; imo non parum fuisset periculi ut tales cæremonie sæpissime fierent judæico spiritu, et ideo convenientissimum fuit illas omnino abolere per dictam absolutam prohibitionem. Quod si inquiratur ubi talis prohibitio ecclesiastica invenitur, respondetur non oportere ut inveniantur scripta, sed satis esse quod usu et traditione Ecclesiæ constet, et quod de hac Ecclesiæ consuetudine et traditione antiqui Patres testificentur. Potuit autem hæc lex non scripta solo usu et consuetudine universalis Ecclesiæ introduci: verisimilius autem est illam incœpisse ex declaratione Pastorum Ecclesiæ et Apostolorum tempore opportuno facta, quando jam expediebat mosaicas cæremonias in Ecclesia non permittere. Et ita colligi potest ex dicta epistola Ignatii, hanc legem jam tunc fuisse latam in Ecclesia, et Clement., lib. 6 Const., c. 14, inter alia tradita ab Apostolis, ponit non esse fidelibus carnem circumcidendam. Idem Euseb., lib. 4 de Præpar. Evang., c. 3; et Augustinus statim citandus.

6. *Objectio.*—Solum potest objici, quia sequitur posse Ecclesiam hanc legem tollere, vel in ea dispensare, et usum cæremonialium concedere, quia potest dispensare in quocumque jure humano, ut supra dictum est, et tradidit divus Thomas, quodlibet. 4, art. 13. Respondemus autem, quamvis in Ecclesia non desit absoluta potestas, nihilominus moraliter et de facto non posse abrogare talem legem, quia id esset in destructionem, non in ædificationem, sicut de præcepto decimarum suo loco diximus, et idem est de præcepto jejunii quadragesimalis. Et in particulari certum est præceptum, ut Pascha non celebretur in eadem decima-quarta luna, in qua celebratur a Judæis, ecclesiasticum esse, et nihilominus non auferetur ab ipsa Ecclesia, nec auferri potest, quia Spiritus sanctus, rector Ecclesiæ, id non permittet, quia perniciosum esset et scandalosum, absque ulla utilitate. Et eadem ratione, proprie loquendo, nunquam Ecclesia in hoc præcepto dispensavit, eademque ratio est de quocumque tempore futuro, quia nulla ratio utilitatis vel ædificationis potest in tali dispensatione inveniri. Ideoque

(ut supra notavi) quoties Ecclesia utitur aliqua cæremonia ad imitationem antiquæ legis, semper id est secundum aliquam generalem rationem cultus, de se consentaneam rationi naturali, non vero secundum peculiarem modum institutum et observatum in antiqua lege, ne videatur ullo modo aliquam ex illis cæremoniis retinere, sed ab omni mali specie absteineat.

7. *Prohibitionem cæremoniarum, quatenus legales erant, ex jure divino oriri.*—Denique, possumus ultimo addere hanc prohibitionem cæremoniarum, quatenus legales erant, ex jure divino positivo proxime oriri, et, illo supposito, esse mortiferas, si fiant ex affectu cultus, ex vi juris divini naturalis. Declaratur prior pars, quia dupliciter possunt illæ cæremonie dici legales, scilicet, quia præceptæ per legem, vel tantum quia institutæ, hoc enim secundum latius patet; nam potest aliqua cæremonia institui sine præcepto utendi illa, ut per se constat. Lex autem vetus in utroque fuit temporalis et abroganda, ut ex supra dictis patet, ideoque postquam plene abrogata est, cessavit non tantum obligatio, sed etiam institutio legalis. Et hoc quidem ortum habuit ab eodem jure divino positivo quo lex illa condita fuit, id est, a libera Dei voluntate, quæ terminum durationis illi legi præfixit, qui terminus fuit Christus vel novus legislator et consequenter lex ejus sufficienter promulgata. Unde quoad hoc valde probabile est Apostolos, non per modum novæ institutionis aut præcepti, sed per modum interpretationis divini juris, declarasse quod tempore consummatus fuit terminus, ex quo lex illa cessatura erat omnino quoad omnem suam institutionem. Et hoc significavit Augustinus lib. de Hæresibus, in hæresi 9, dicens Christianos per apostolicam traditionem legalia non observare carnaliter, sed didicisse ea spiritualiter intelligere. Facta autem hujusmodi declaratione, ex jure divino naturali secutum est ut cæremonie illæ statim essent mortifera, quatenus legales erant, quia jam non ad religionem, sed ad superstitionem potius pertinere cœperunt.

8. *Declaratur doctrina tradita.*—Atque hoc maxime patet in quibusdam cæremoniis quæ publicam et authenticam institutionem requirunt. Inter quas primum locum obtinent sacrificia, quia in illis consistit veluti principalis et quasi substantialis cultus Dei, et ideo, cessante institutione et impositione Dei, eo ipso ex natura rei fuit intrinsece malus usus

illorum sacrificiorum sub ratione sacrificandi et colendi Deum per illa, quia jam revera non erant sacrificia divina, nec per homines potuerunt restitui in illum statum. Quod patet, quia id non potest fieri auctoritate privata, quia hoc repugnat rationi sacrificii, neque etiam auctoritate publica Ecclesiæ, quia esset contra Christi intentionem instituentis in Ecclesia unum excellentissimum sacrificium loco omnium, et idcirco unicum, quia per se solum sufficientissimum est, ut late tractavi in tertio tomo tertiæ partis, disputatione septuagesima-quarta, sectione ultima. Ablatis autem hoc modo sacrificiis, necessarium consequenter fuit eodem modo cessare sacerdotium, quia sacerdotium per se primo ad sacrificium ordinatur, juxta illud Pauli ad Hebr. 8: *Omnis Pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur.* Unde etiam in lege gratiæ Christus aliud sacerdotium instituit, præter quod nullum introduci potest per ullam auctoritatem hominibus datam. Idem judicium ferendum est de sacramentis, quæ secundum locum tenere videntur inter cæremonias quæ institui solent ad cultum Dei, et ordinantur ad aliquam sanctificationem recipientium. Quæ quidem sanctificatio in lege nova interna est et perfecta, et a solo Deo conferri potest, et ideo Ecclesia non potest talia sacramenta instituere. Neque etiam potest vetera revocare seu acceptare, quia vel id faceret ex vi prioris institutionis divinæ, vel per novam impositionem humanam illa instituendo: non primum, quia divina institutio jam cessavit, ut supponitur: nec secundum, tum quia nulla est potestas in Ecclesia ad instituenda sacramenta; tum etiam quia finis proprius talium sacramentorum cessavit in lege nova, in qua sicut non sunt legales immunitatiæ, ita neque est purificatio legalis, seu carnis, ut illam Paulus appellat. Et hoc etiam confirmat illa ratio D. Thomæ, quod illæ purificationes et oblationes erant umbræ futurorum et internæ sanctificationis dandæ per Christum; unde impertinens fuisset potestas instaurandi in Ecclesia Christi talia et tam imperfecta sacramenta.

9. *De cæremoniis accidentalibus.*—De aliis vero cæremoniis pertinentibus ad cultum Dei, quæ magis accidentariæ sunt, qualia sunt vestes, vasa et alia sacra, et observantiæ veteris legis, dixerunt aliqui quod, licet non possint servari in lege nova ex vi primæ institutionis, quia illa cessavit, et ideo talis usus esset superstitiosus, et errorem involveret, ni-

hilominus auctoritate Ecclesiæ posse instaurari, ita ut serventur ex institutione humana, non ex divina, ad eum modum quo theologi loquuntur de judicialibus præceptis. Ita sentit Covarr., l. 1 Variar., c. 17, n. 1. Qui consequenter ait differentiam quam communiter assignant theologi inter judicialia et cæronialia præcepta, intelligendam esse de illis cæronialibus quæ principalem cultum continebant, ut erant sacrificia et sacramenta: nam hæc maxime significabant mysteria Christi futura, alia vero magis videbantur esse ad moralem utilitatem, ut ad decentiam et ornatum sacrificiorum, et ad excitandam devotionem, etc. Et allegat in hanc sententiam Majorem in 4, dist. 3, q. 1; et D. Antoninum, 1 p., t. 14, c. 5, § 9; et Dried. de Libert. christian. Sed hi auctores nihil in particulari dicunt, sed generatim loquuntur. Unde in eodem sensu videtur loqui Covarr., qui non solum de possibili, sed de facto loquitur, ut patet ex exemplis quæ statim subjungit. Itaque de facto hæc imitatur Ecclesia secundum generalem et moralem rationem cultus, et ad illos fines decentiæ et ornatus, etc. Semper tamen distinctum modum observat qui et sit perfectioni novæ legis magis accommodatus, et omnem suspicionem auferat legalium cæroniarum. Hæc autem observatio et prudens cautela non apparet necessaria ex vi juris divini naturalis, nisi quatenus prudens ratio dictaverit esse moraliter necessariam ad prædictos fines; et quia hoc semper ita est (moraliter loquendo, ut explicavi), ideo simpliciter dicere possumus usum etiam harum cæroniarum legalium esse mortiferum ex vi juris divini naturalis, supposita cessatione antiqui juris divini positivi, cum perfecta illius mutatione per novæ legis completam promulgationem. Hic vero insurgat alia difficultas, quam in capite sequenti melius tractabimus.

CAPUT XIX.

FUERITNE LEX VETUS PRIUS MORTUA QUAM MORTIFERA.

1. *Status questionis aperitur.* — Resolutio questionis hujus ex jam dictis haberi potest; tamen, quia nec probari poterat, nec a difficultatibus occurrentibus expediri, non intellecto prius tempore in quo cœpit esse mortifera, ideo in hunc locum punctum hoc distulimus. Potest autem quæstio intelligi, vel

respectu gentium, vel respectu Judæorum; utrisque enim lex mortifera est, ut adducta in superiori capite probant, et a fortiori utrisque etiam est mortua, imo respectu gentium plus quam mortua dici potest, quia illos nunquam obligavit. Quocirca, si quæstio proposita, seu comparatio fiat respectu gentium conversarum ad Christum, resolutio pendet ex dubitatione supra tractata, an Gentilibus in Christum credentibus aliquando licuerit post Evangelium susceptum circumcisionem suscipere et legalia servare. Nam si nunquam licuit, consequens est ut simul fuerit eis lex mortifera ac fuit mortua, quia post Christum semper utrumque habuit. Si vero aliquando licuit fidelibus ex gentibus circumcidi, manifestum est prius respectu illorum fuisse legem mortuam quam mortiferam, quia a principio et semper illos non obligavit, et ita erat quasi mortua respectu illorum, cum tamen non esset mortifera, quamdiu illam servare eis licuit. Neque in hoc superest nova difficultas. Comparatio ergo fit respectu Judæorum; licet enim, ex dictis in superioribus, sequi videatur prius legem illam fuisse mortuam quam mortiferam, et hæc sit communis sententia, et Augustino tributa, nihilominus in se et in Augustino non caret difficultate.

2. Posset enim quis opinari, etiam respectu Judæorum, non prius fuisse legem mortuam quam mortiferam, non quia a principio fuit mortifera, sed potius, e converso, quia non fuit mortua donec fuit mortifera, id est, usque ad consummatam prædicationem Evangelii. Et fundamentum esse potest, primo quia nullum est testimonium quod ostendat a principio fuisse mortuam; nam, si quod esset, maxime illud: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*: illud autem, vel tunc dictum est tantum ad Gentiles, vel si extendatur ad Judæos, intelligitur de his qui circumcidebantur ponentes spem in circumcisione, tanquam in causa salutis sine qua gratia Christi non sufficeret; alioqui non solum probaret ille locus fuisse legem a principio mortuam Judæis, sed etiam eisdem fuisse mortiferam. Alia vero testimonia Scripturæ, quæ loquuntur de termino legis veteris usque ad Christum, non magis probant statim fuisse mortuam quam mortiferam. Nam intelliguntur de Christo ut obligante universum mundum per suam legem novam, et ideo extenduntur usque ad promulgationem Evangelii; ergo possunt etiam extendi usque ad consummatam promulgationem Evangelii, quia tunc

cœpit lex Christi totum mundum obligare. Unde quando Augustinus dixit epist. 9, in Judæis fuisse damnabile, *quod post passionem et resurrectionem Christi, dato ac manifestato sacramento gratiæ secundum ordinem Melchisedec, adhuc putabant sacramenta vetera non ex consuetudine solemnitate, sed ex necessitate salutis esse servanda*; hoc, inquam, recte potest intelligi de tempore post perfecte promulgatum Evangelium; tunc enim et non antea simpliciter dici potest sacramentum gratiæ fuisse datum et manifestatum. Unde Hieronymus, in epist. 89, Augustino tribuit quod diceret Gentiles esse legis onere liberos, Judæos vero legi esse subjectos, quod, si verum est, necessario referendum est ad illud primum tempus inchoatæ promulgationis legis novæ, quia post illud uterque populus æque fuit liber ab onere legis; ergo in illo primo tempore Judæi non erant liberi ab onere legis; ergo lex non erat mortua. Denique, seclusa auctoritate, nulla est ratio quæ cogat nos dicere legem veterem fuisse mortuam ante plenam legis novæ promulgationem, quia leges illæ non habebant inter se formalem repugnantiam, et Deus poterat velle ut simul permanerent et obligarent; videturque id satis voluisse pro illo primo tempore, ferendo novam legem, et non expresse revocando primam, nec breviorum terminum assignando, quo adveniente cessaret.

3. *Aliud fundamentum.* — Aliud et grave fundamentum est, quia non apparet quomodo illa duo, scilicet, esse mortuam et non mortiferam, vel hæc duo, esse legem permissam seu licite observabilem, et non esse obligantem, simul conjungantur. Primum patet simili discursu supra facto; nam si lex illa mortua est, jam sacramenta ejus nihil erant, et sacrificia ejus etiam cessaverant, introducto jam unico Missæ sacrificio: ergo, ex natura rei, necessarium fuit ut statim usus talium cæroniarum fuerit superstitiosus, et rationi recte contrarius. Item si lex illa mortua erat, ergo ejus cæroniæ erant falsa signa divini cultus, quia jam cessaverat eorum institutio seu impositio, quia hoc ipsum est legem esse mortuam: ergo uti illis erat per se et intrinsece malum. Quod si quis fortasse dicat illud fuisse licitum ex dispensatione divina, non loquetur imprimis juxta intentionem Augustini. Et deinde oportet ut dispensationem ostendat, ne voluntarie loquatur. Ac denique si ille usus est contra rationem naturalem, non cadet in illum propria dispensatio, sed potius

dicendum erit legem illam non fuisse pro illo tempore sublatam vel mortuam, ut usus cæroniarum ejus nihil pro tunc haberet rationi contrarium. Et inde facile ostenditur alia repugnantia, in hoc quod lex illa perseveraverit quoad religiosam observationem, quando non perseverabat quoad obligationem. Repugnantia autem est, quia non potest esse vera lex quin obliget; non potest autem esse religiose observabilis talis lex nisi permaneat in statu veræ legis: ergo nec potest esse sic observabilis, nisi vim obligandi retineat. Alia repugnantia moralis invenitur in sententia Augustini: nam ipse docuit non fuisse mortifera legalia a principio, ut in actionibus Apostolorum simulationem vitaret: ergo eadem ratione docere debuit non fuisse tunc mortua, alias non posset simulationem effugere, cum Apostoli, tanquam legis observatores, cæronialia exercerent, ut supra ostendimus. Alia denique repugnantia moralis est in fundamento Augustini: nam si expediebat legem illam non statim fieri mortiferam ut cum honore sepeliretur, ergo eadem ratione oportebat obligare Judæos ad usum illius legis pro illo tempore, ita ut non possent licite illam statim abjicere in ejus infamiam et injuriam ac si mala esset: ergo eadem ratione oportuit eam pro illo tempore vivam permanere.

4. *Tria distinguenda.* — Hoc punctum postulat ut explicemus quod supra in hunc locum remisimus, quomodo lex illa mortua esse incœperit a die Pentecostes. Ut autem hoc distincte resolvamus, oportet in lege illa respectu cæronialium tria distinguere, scilicet, obligationem, institutionem, et fructum seu effectum: sunt enim hæc tria distincta et separabilia, et ideo potest intelligi quod lex derogetur quoad unum istorum, et non quoad aliud, et ita quod sit mortua quoad obligationem, et non quoad institutionem vel utilitatem; potest etiam intelligi ut quoad omnia moriatur, seu abrogetur. Augustinus ergo, si attente legatur, solum loquitur de abrogatione quoad obligationem legis, et in hoc sensu sentit fuisse legem illam mortuam, quando nondum erat mortifera, et ideo dixit potuisse aliquando illam legem servari, dummodo non tanquam necessaria, sed ut bona et religiosa observaretur. De aliis autem duobus punctis nihil expresse dixit; videtur autem ex doctrina ejus colligi aliter esse loquendum de lege quoad secundum membrum, id est, institutionem cæronialium; tertium vero de fructu, seu utilitate legis, non habet in præsentia peculia-